



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta**

**Gallemart, Jean**

**Coloniæ Agrippinæ, 1621**

Salvus Condvctvs Datvs Protestantibvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39157**

# SALVVS CONDVCTVS

## DATVS PROTESTANTIBVS.



ACROSANCTA œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, presidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolica Legato & Nuncijs, in hunc saluo conductui in penultima Sessione dato, illum iuxta tenorem infra scriptum ampliato: vniuersis idem facit, quod omnibus & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, alijs quibuscumq; viris cuiuscumque status & conditionis aut civitatis existant, Germanica provincia & nationis, civitatum & alijs locis eiusdem, & omnibus alijs Ecclesiasticis, & secularibus, præsertim Augustanæ confessionis personis, qui aut quæ unâ cum ipso hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, aut profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nominem seantur aut valeant nuncupari, tenore presentium publicam fidem & plenissimam verissimamq; securitatem, quam saluum conductum appellant, liberè ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, morandique manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, unâ cum Synodo de quibuscumque negotijs tractandi, examinandi discutendi, & omnia, quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, in scripto quàm verbo, liberè offerendi, propalandi, eosque Scripturis sacris, & Beat. Patrum verbis, sententijs & rationibus declarandi, astruendi, & persuadendi, & si opus fuerit, etiam ad obsequium Concilij generalis respondendi, & cum ijs, qui à Concilio dilecti fuerint, disputandi Christianè, aut charitatiuè absque omni contempto conferendi, opprobrijs, conuicijs, ac contumelijs penitus motis; & signanter, quod causa controuerse secundum Sacram Scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilio, & œdifica Ecclesiæ consensus, & sanctorum Patrum auctoritate prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut in quocumque negotio, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum, minime puniantur, impertitur ac omnino conueniatur.

Nota.

sic etiam, ut propter illorum presentiam, neque in itinere, aut quocumque locorum eundo, aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina à divinis officijs quovis modo cessetur. Et ut hijs peractis vel non peractis, quandocumq; ipsis liberit, aut maiorum suorum mandato & assensu ad propria reverti optabunt, aut aliquis eorum optabit; mox absq; ulla remittentia, & occasione, aut mora; salus rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, vice versa, possint iuxta beneplacitum liberè & securè redire; de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, ut tunc opportunè eorum securitati, absque dolo & fraude provideatur. Vult etiam sancta Synodus, in hac publica fide saluog; conducto omnes quascumque clausulas includi ac contineri, ac pro inclusis haberi, quae pro plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, & redeundo, necessaria & opportuna fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quod si quisquam, aut illorum aliqui siue in itinere, Tridentum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae & assurationis beneficium, eis concessum, annullari aut cassari; vult & concedit, ut in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab alijs, condigna animadversione, cum emendatione sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda, & laudanda, mox puniantur; illorum assurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pari formi etiam vult, ut si quisquam, vel aliqui ex ipsa Synodo, siue in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint aut commiserint, quo posset huius fidei publicae & assurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab alijs condigna animadversione, & emendatione sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Augustanae confessionis, tunc hic presentium merito laudanda, & approbanda, mox puniantur; presentium assurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult praeterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambassadoribus, omnibus, & singulis, toties quotiescunque opportunum fuerit, seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, & reverti ad eandem, nec non nuntium, vel nuntios suos ad quaecumq; loca pro suis necessarijs negotijs ordinandis liberè mittere

ncii Tridentinae  
declara  
meat in d  
1711

tere seu destinare, ac ipsos missos seu destinatos, seu missum & destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quod aliqui, vel aliqui per deputandos Concilij socientur, qui eorum securitati provideant, vel provideat. Qui quidem saluus conductus, & securitas stare ac durare debeat, à tempore, & per tempus, quo ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & vsque ad Tridentum perducit, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum, post sufficientem audientiam habitam, facta viginti dierum premissa, cum ipsi petierint; aut Concilium, habita huiusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, à Tridento usque in quem quisq; elegerit sibi locum tutum, Deo fauente, restituendo, & fraude prorsus exclusis. Quae quidem omnia pro vniuersis singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Ecclesiasticis quam secularibus quibuscumque, atque omnibus alijs Ecclesiasticis & secularibus personis, cuiuscumque status & conditionis fuerint, aut quocumque nomine censeantur, inuiolabiliter obseruanda esse promittit, & bona fide spondet.

Conc. Trident. Sess. 19. in cap. quod non obstantibus saluis conductibus.

Insuper, omni fraude & dolo exclusis, vera & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste vel occulte occasione quaesituram; aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel statuto, privilegio legum, vel Canonum, aut quoruncumque Conciliorum, praesertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma, & conditionum expressa, in aliquod huius fidei publicae, & plenissimae deliberationis, ac publicae & liberae audientiae, ipsis per ipsam Synodum concessa, praevicium quouis modo usuram, aut quemquam permissuram; quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si contra Synodum, aut aliquis ex ea, vel suis, cuiuscumque conditionis status, aut praesentia existens, praescripta asservationis & saluati conductus formam & modum in quocumq; puncto vel clausula violauerit, quod tamen auertere dignetur Omnipotens; & si emenda non fuerit mox subsequuta, & ipsorum arbitrio meritis probanda & laudanda; habeant ipsam Synodum, & habere possunt, incidisse in omnes poenas, quas iure diuino & humana consuetudine, huiusmodi saluorum conductuum violatores committere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte translatione.